DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

9

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PHILIPPUS O'REILLY,

HIBERNUS.

The experienc'd artist from the blood betrays
The latent venom, or its cause delays:
But if the infection triumphs o'er his art,
Tainting the vital stream that warms the heart;
Resolv'd at last, he quits th' unequal strife,
Severs the member, and preserves the life.

FALCONER.

Die 1mo Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

1816.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO ILLUSTRI,

JOSEPHO PRATT,

CHILIARCHO,

APUD *CORMY-CASTELLUM* IN *HIBERNIA*

DEGENTI,

VIRTUTIBUS ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

QUAE

HOMINEM, AMICUM VEL CIVEM

EXORNANT,

INSIGNITO;

OB PLURIMA IN SE SUOSQUE COLLATA BENEFICIA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO,

DAT DICATQUE

AUCTOR.

9

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

Auctore Philippo O'Reilly

SUMMORUM in medicina honorum petitor, disputationem medicam eruditorum examini subjecturus, pauca de Pneumonia, qua potui brevitate, scribere decrevi. Hic morbus, per se interdum exitiosissimus est, et multis haud minus mortiferis malis viam sternens, maximam certe curam diligentiamque omnis medicinam facientis, aut facturi, optimo jure sibi postulat.

Quanquam nulla alia inflammatio est, quae homines in regionibus hisce degentes saepius

invadit, violentius urget, aut exitu tristior est, in nulla tamen vel citius profuisse, majoremve attulisse opem, laetioremve praestitisse victoriam, quam in hac de qua dicturus sum, ars medica visa est.

A Culleno celeberrimo illo medico et nosologo, pneumonia ad classem *Pyrexiarum*, ordinem *Phlegmasiarum* refertur, ac verbis sequentibus definitur:

" Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; " respiratio difficilis; tussis."

Huic morbo, prout pleuram, vel pulmones occuparit, medici varia nomina indiderunt, et illam Pleuritidem, hanc vero Peripneumoniam nominarunt. Me judice, vero, alienum esset has invicem seponere; quippe, quae fere semper eundem simul afferunt; eisdem causis proficiscuntur, et eandem medendi rationem flagitant; sub communi igitur Pneumoniae nomine, ad hunc morbum tractandum memet accingo.

HISTORIA.

Symptomata hujus morbi aliquando initio adeo levia sunt, ut non nisi catarrhus esse videatur; mox vero aeger graviter afficitur languore, lassitudine, horrore et calore vicissim occupantibus; vultus rubet, caput dolet, cutis aret et calet; lingua inarescit, vigilia et anxietas urgent: pulsus frequentiores, validiores et duriores evadunt: aeger brevi de dolore in quadam thoracis parte acuto conqueritur: hic dolor est in situ varius, modo unam modo alteram pectoris partem occupat: nunc sub sterno, nunc ad claviculas vel scapulas vibrat: Saepius vero dolorem, in utero demum latere situm, inter costas sextam septimamque plerumque accidere, inter omnes constat: interdum ita obtusus, ut pondus potius quam dolor sentiatur.

Difficultas spirandi fere semper, attamen varie pro ut res sese habent, aegrum urget: aër enim, plenius in pulmones receptus, dolorem adeo intendit, ut hoc morbo impliciti inspira-

tionem plenam maxime reformident, et ejus defectum frequentibus nisibus compensare solicite nituntur: aeger adeo laboret, ut miser nunc in sinistrum latus, nunc in dextrum, nunc in neutrum, sed nunc vel supinus, vel corpore nunc erecto, requiescere tantum possit. Tussis quoque, etiam a morbi initio, admodum molesta, aegrum vexat doloremque multum adauget: primo sicca, postea vero humida, saepe cruenta: sputum sub initio morbi parcius, sed procedente morbo, copiosius est, et magis concoctum, sanguine etiamnum permisto: status etiam intestinorum varius est, alvus nunc nimis contrahitur, nunc quam debet fusior: urina modo tenuis et aquosa, interdum crassa et rubra, in qua quid lateritii subsidit.

HUJUS MORBI TERMINI.

Pneumonia, resolutione, suppuratione, gangraena vel effusione finire consuevit: de terminatione ejus varia, pauca disserere licet.

Morbus resolutione finire dicitur, cum omnia mali indicia decedunt, nulla labe superstite, et

pars inflammatione correpta in integrum restituta; qui exitus quidem laetior, et in omnibus internis inflammationibus vehementer optandus est, et praesertim in Pneumonia, ne grande munus, quo funguntur pulmones, ad vitam adeo necessarium, interrumpatur. Medicus resolutionem suspicare potest, si pyrexia aliaque graviora signa, sanguinis detractioni et aliis medicamentis cedant: si vero haec valde ingravescentia, ultra septimum vel decimum diem perstent, aegro delirante, et pulsu molli, ne in suppurationem abeat jure timendum est; si demum sputa omnino cessent vel parcius ejiciantur, si febris vis aliquantulum remittat et crebri horrores accedant, si lateris dolor mitescat (spirandi difficultate tamen permanente), cum gravioris ponderis in parte dolente sensu, si pulsus plenior et mitior fiat, genae et labia rubra, et vespere febris ingravescat, sudore frigido circa frontem et pectus oborto, suppurationem jam esse coeptam, scire licet: Si in vasa pulmonum tenuiores sanguinis partes, vel sanguis ipse, vel etiam pus affatim prorsus effunditur, aeger suffocatur; si vero modice, expuit interdum et cito convalescit.

Pneumoniae gangraena rarius est exitus, nisi effusio sanguinis simul obtinet. Inflammatio violens praegressa, subito doloris cessatio, foede halitus olens, pulsus parvi, inordinati et frequentes, vires penitus exhaustae, sudores frigidi, delirium, oculi omni splendore privati. Faecum foetor intolerandus, cum urina nigrum sedimentum deponente, gangraenam factam esse, et mortem adstare, ostendunt.

DIAGNOSIS.

Tres morbi sunt, inter quos Pneumonia confundi possit; Hepatitis, Peripneumonia notha, et Inflammatio cordis. Pneumoniam ab hepatitide medicus, quamvis peritus, primo aspectu haud facile distinguere poterit: hic morbus ex inflammatione hepatitidis, doloris situ, difficultate in latus affectum decumbendi, pressura dolore non aucto, ad claviculam et humerum dextrum non vergente, nullo singultu, vel vomitu, dignosci potest. In hepatitide etiam tussis per totum morbi cursum sicca est, et vultus quoque colore luteo plerumque squalet.

Peripneumonia notha catarrho potius quam pneumoniae magis cognata est, et aetate provectos, debiles et pituitosos, et qui laxiore corporis habitu sint, leniter sensimque invadit: aeger lenissime febrit, aegrescit potius quam dolet, tussis etiam et pectoris dolor minus, quam in pneumonia vexant: et medendi rationem haud parum a catarrho diversam postulat.

Carditis saepe cum pneumonia jungitur; quorum morborum eadem fere symptomata et remedia, nisi quod in hoc morbo palpitatio et syncope adsunt, et remedia quam primum sunt adhibenda.

CADAVERUM SECTIO.

Incisis eorum cadaveribus pneumonia peremptorum, varia morbida semet obtulerunt; collectio puris subviridis sanguine nigro misti, in pulmonum fabricam et inter pleuras invenitur, quae aliquando exulcerari reperiuntur: Pleura pulmones investiens solito fere crassior est, et vasa ejus praeter naturam sanguine oppleta:

pleura pulmonum ei costarum persaepe accrescit. Pulmones quoque ipsi inflammationis participes, solito adeo graviores sunt, ut in aquam injecti, auctore CLEGHORN, partim fundum petant: Saepe tubercula in suppurationem abeuntia eos stipant: interdum ex abscessu rupto, magna puris copia in cavum thoracis confluxerit.

RATIO SIGNORUM.

INTER causas excitantes longe frequentissimam esse frigus diximus, quod corpore exceptum sudorem subito impedit, et in corpus internum repellens, pyrexiam facit.

Respiratio difficilis causas admodum diversas agnoscat; partim vel a sanguinis congestione in pulmonibus, quae aëris liberum cursum per ipsos impedit, et id crebrioribus respirandi conatibus pulmones rependere moliuntur, proveniat; vel partim a dolore quem inspiratio plenior intendit; quo violentiores hae causae sint, eo magis spirandi difficultas urget.

Tussis partim causis jam enumeratis, utpote quae spiritus difficultatem faciant, partim nimio membranae intimae bronchiorum sensui tribuenda est: haec enim membrana inflammatione correpta, stimuli levissimi adeo impatiens evadit, ut etiam ab aëre ipso irritationem molestam sustineat.

Ex distentione vasorum tunicarum et ex majore sanguinis impetu in partem inflammatam, oriundum esse dolorem judicare licet. Quod vero haud sine dolore cubare possit aeger, ex inflammatione pulmonum provenire censendum: Si fibram alteram inflammatio occupat, in latus sanum, si utramque in dorsum, sese tantum reponere datur.

Facies rubra et tumida, dolor etiam capitis, tum congestioni sanguinis in pulmonibus, unde liberior sanguinis reditus a capite impeditur, tum etiam cordis arteriarumque viribus nimis citis tribuitur. Facies purpurea vel livida, ex pulmonibus humore effuso impletis, vel e vehementi inflammatione sanguine infarctis, pro-

ficisci videtur. Ex hac enim causa, sanguis ab aëre neque ut debet pabulum, quo alatur sacra vitae flamma, adipiscitur, neque ex subnigro in rubicundum mutatur colorem. Hinc subniger sanguinis color ; hinc faciei livor.

CAUSAE REMOTAE.

Nullum genus hominum ab hujus morbi impetu satis tutum : virile tamen genus, magis quam muliebre, et jam adultos magis quam senes aggreditur, et inter annum quadragesimum quintum et sexagesimum saepissime adoritur. Robusti, pleni et duro labori assueti, et quorum fibrae rigidae sunt, huic morbo maxime patent : eos quoque nimia sanguinis copia laborantes, lauto nimis, artibusque coquinariis et convivialibus cibo corrupto, et liquoribus fortioribus utentes, in quibus diathesis phlogistica praevalet, saepissime Pneumonia corripit ; hinc venatores, milites, et rustici, huic inflammationi maxime subjecti sunt.

Qui praeterea Pneumonia semel laborarunt, ii facilius iterum hoc morbo implicantur.

Hujus morbi causae excitantes sunt, coelum varium, humidum et frigidum, quale autumno et hyeme contingit; frigus ad morbum inducendum locum certe primum tenet, eoque certius si corpori, qualicunque de causa, prius calefacto, admotum fuerit; item calor, si corpus frigori intensiori antea expositum fuerit, plurimum ad hunc morbum concitandum pollet. Quare e frigore excepto, pulmones, prae caeteris partibus internis, saepius morbo laborant, haud in promptu est: quodcunque autem solitam excretionem per cutem cohibet, et in pulmones plus solito sanguinis propellit, pulmones, propter teneram fabricam et copiam sanguinis ad eas derivatam, inflammationi maxime subjectos reddat. Inter causas excitantes etiam sunt injuriae et exhalationes acres quibus affecti sunt pulmones, potus frigidi uberius hausti, dum corpus calore exaestuat, intemperantia circa cibum, vehemens corporis exercitatio, sive currendo sive vociferando, sive modo alio quocunque fit, unde violentius pulmones irritantur.

PROGNOSIS.

Quum hic morbus semper periculosus sit, et saepe fatalis; oportet medicum cavere, ne de ejus eventu quid inconsulte et temere praedicat; utcunque levis fuerit hujus morbi impetus, haud periculo prorsus vacat, et interdum aeger sine ullo morbi gravioris signo, morte repentina periit. Nullo in alio morbo falaces remissiones saepius occurrunt: hae circiter diem tertium quartumve fere eveniunt, et mali omnino decedentis spe animum aegri confirmant. Symptomata tamen auctis viribus paulo post recrudescunt: tales igitur remissiones semper suspectas habere oportet, eoque magis modo nulla notabilis evacuatio comitatur. Pyrexia vehementior, pulsus frequens, validus et durus, calor ardens, facies tumida et rubore incandescens, male augurant. Nec minus interest ad respirationem respicere; quo magis spirandi difficultas aegrum urget, eo magis timorem incutere debet: Tussis quoque sicca, violenta et dura, quae dolorem

multum intendit, malum est: praeterea, si quando spiritus, etiam corpore erecto, aegerrime ducitur, cum horrendo suffocationis imminentis sensu. Si pulsus sit parvus, frequens, et irregularis, cum frigido et viscido sudore e capite et collo diffluente, aeger in lubrico versatur statu: debilitas magna, dolor erratus, delirium, infaustum exitum etiam indicant. Contra tamen, si symptomata fuerint mitiora et febris, si dolor lateris et spirandi difficultas idoneis remediis perite administratis cito cesserint, praesertim si tussis copiosam, crassam et cruentam citat pituitam, exitum morbi felicem praedicit; cum simul profusio sanguinis e naribus et sudor mitis et calidus, alvo leniter fluente, et urina sedimentum lateritium deponente, comitantur. Si una cum aliqua hujusmodi evacuatione signa febrilia diminuuntur, arteriarum ictus pacatius evadunt, corporis calor defervescit, dolor decedit, et spiritus facilius et liberius ducuntur, nihil dubii restat quin morbus subigatur.

RATIO MEDENDI.

Ineunte morbo sanandi ars plurimum valet, modo remedia propria mature adhibeantur ; hoc itaque consilio adversus inflammationem vi et armis contendere, et importuna mala saepe accidentia levare, oportet : Impetus sanguinis coactus per pulmones est diminuendus ; mature igitur et copiose juvat sanguinem detrahere, qui magna ex plaga eliciendus, et fluere debet donec syncope supervenerit, vel signa mitescere coeperint, cum non alius existit morbus, qui hoc remedium magis efflagitat, vel melius tolerat. Etsi autem sola salutis spes in sanguinis detractione posita sit, nil aegrum citius debilitat, quam hoc vitale fluidum temere effusum ; "Ingens enim et subita sanguinis jactura omnibus brevi et multum nocet, nec raro mortem affert. Haec enim non modo insignem debilitatem, et vertiginem, et nauseam, aut vomitum, et animi defectionem, sed convulsiones quoque generales et plerumque lethales, inducit"+ Sanguis igitur nunquam large detrahendus est, do-

+ Gregorii Consp. Medicin. p. 581

nec, quid valeant vires, aetas, signorum vehementia, et alia bene multa, quid fere recusent, bene perpendeatur. Quantum vero sanguinis, quotiesve mitti possit, dictu difficile, vel potius dici nequit; ter quaterve venam incidere plerumque satis erit, si prima aut secunda copiosior detractio fuerit. Saepe etiam, dum sanguis effluit, dolor mitior factus, vel pene sublatus, respiratio magis commoda, pulsus plenior, et sputum facilius eductum, saluberrimos ejus effectus testantur. Si vero redierit spirandi difficultas: si redierit dolor lateris, tum fere audacter ad idem remedium iterum confugere licebit.

Sunt qui sanguinem eo mitti jubent, donec tunica alba et tenax evanescat, quae vero nos non raro fallet: in nonnullis enim sanguis initio morbi, in aliis tamen non nisi finem versus (ut illust. Gregorius in Praelectionibus mentionem fecit) hac crusta tegitur. Praeterea, quo amplius sit vas sanguinem recipiens, et quo major sanguinis superficies aëri subjicitur, eo crassior erit tunica et celerius fiet; minime igitur soli huic signo semper fidendum est, aut

conandum sanguinem iterum iterumque mittere, donec illo tegmine penitus careat; scilicet quod saepe admodum periculosum esset, et haud raro prorsus impossibile. Post quartum diem morbi, aliqui medici sanguinem non esse mittendum putant; nunc vero, post quartum vel plures dies hanc fiere posse inter omnes convenit, si signa inflammationis adsint, et aegri vires non multum minuantur, sed, suppuratione imminente, sanguis nunquam eliciendus est. Semper quoque memoria tenendum est, intempestivam sanguinis detractionem sputum cohibere, effusioni favere, et vel hydropi vel phthisi originem dare.

Si vero sanguis missus vires aegroto adeo subduxerit, ut ulterius mitti periculosius jam esset, nec interea symptomata morbi mitescere coeperint, cucurbitulae cum ferro affectae parti admotae prosunt. Vesicatoria etiam parti dolenti quam proxime applicata, praesidium validissimum praebent; eoque magis, si post sanguinem semel iterumve missum adhibita; et morbus levior eorum beneficio nunnunquam fugatus est.

Alvus purgatur tuto et utiliter hoc morbo implicitis, necne, nonnulli dubitarunt, quia alvus initio sponte fluens raro juvat : at vero CULLEN * alvum leniter summo cum fructu solvit, et experientia satis docet, cathartica mitiora, quae alvum mollius ducunt, vel enemeta laxantia, intestina e materia irritante purgando maxime utilia esse.

Si ad sudandum proclivitas sit, signis mitioribus insuper visis, hunc solummodo effectum diluentibus vel lenioribus diaphoreticis, calore externo vitato, aliisque stimulis omissis, promovere licet. Si sudor est viscosus, et gelidus et non per totum corpus aequalis, potiones et stragula minuendo caute cohibendus est.

Varia variis temporibus remedia, qualia gummi ammoniacum, scilla maritima ex antimonio parata, ad faciliorem sputi rejectionem promovendam, medici excogitaverunt; quae tamen omnino profuisse inveniuntur. Aquae etiam ca-

* CULLEN's First Lines.

lidae, cum aceto commixtae, vapores in pulmones exceptos laudavere plurimi, "vapores aquae "calidae cum spiritu in pulmonem hausti," ut summi illius viri reique medicae peritissimi verbis utar, "hunc fovent, humectant, molliunt, "laxant spasmum, si quis adsit, solvunt, exhala-"tionem et muci secretionem promovent, hunc "quoque deluunt et attenuant ejusque sic exscre-"ationem promptiorem et faciliorem reddunt, et "demum bonum remedium expectorans fiunt*." Ad tussim leniendam, quae aegrum molestissime urget, oleosa aliaque medicamenta, quae leniunt maxime et molliunt, sunt adhibenda.

Ad minuendam actionem cordis et arteriarum in Pneumonia, digitalis purpurea exhibita est. Tinctura in dosi guttarum xv. vel xx. plerumque cum haustu salino conjuncta bis terve in dies sumitur. Praeter illa dicta de missione sanguinis matura, exhibentibus hoc remedium, "id verisimile bonum effectum "posse inducere, sed hoc soli non fidendum "esse," additur.

---

* GREGORII Consp. Medicin. v. p. 561.

Variae sunt sententiae de usu opii in Pneumonia. Opium nunc a medicis morbi finem versus adhibeatur, cum spirandi difficultas minuitur, tussis adhuc perstat, et ubi dolor et vigilia plus minusve urgent. "But in more advanced state of the disease, (ait ille vir peritissimus) when the difficulty of breathing has "abated, and when the urgent symptom is a "cough, proving the chief cause of the continuance of the pain and of the want of "sleep, opiates may be employed with great "advantage and safety *."

Regimen antiphlogisticum observari oportet; hinc victus tenuissimus, et ex frugibus compositus imperandus est. Diaeta ex carnibus, liquores fortiores, calor et alia stimulantia sunt evitanda. Ad sitim levandam, quae, durante morbo, plerumque aegrum maxime urget, potu acido etiam et pomis aliisque fructibus acidulo sapore utendum est: decumbat an sedeat sum-

* Cullen's First Lines.

ma quies animi et corporis est concilianda. Cubiculi calor eum non excedere debet, quem quinquagesimus quintus thermometri Fahrenheitiani gradus, aut, ad maximum, sexagesimus ejusdem, indicat.

Jam vero de hoc tam tristi morbo, ortum, progressum, exitumque cujus quam brevissime et quam accuratissime, describere mecum statui, prorsus innecessarium plura dicere habeo. Remedia quae hic proferuntur, si opportuna vel aliqua ratione idonea, exhibita, ad morbum levandum et aegrum reficiendum satis pollere, spero.

FINIS.